



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Hebdomada IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

HEBDOMADA QUARTA.

*In hac Hebdomade singula puncta Myste-
rii reducemus ad Meditationem, cum
quinque punctis, juxta præscriptum
modum à S. P. Nostro: Exceptis non-
nullis, quæ formabuntur in Medita-
tiones cum tribus punctis.*

MEDITATIO I.

Apparitio prima. Myst. punct. unic.



CONGRUA. *Ut dum vigilo, repente
mihi ponam ob oculos statutam Con-
templationem, & de gaudio Domini,
cum suis, studeam & ipse exhilaresce-
re.*

PRÆL. I. *Quomodo Christus redivivus ap-
paruerit B. Virgini Matri suæ.*

PRÆL. II. *Speculari domicilium B. Virgi-
nis.*

PRÆL. III. *Petere, ut participes fiamus im-
mense gaudii, quod habuit Christus, & Mater
ejus.*

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videre B. Virginem, solitariam in domo suâ, Christum quoque, qui deinde ipsi adfuit.

INTEL. B. Virgo erat afflicta: plena tamen fide, & spe resurrectionis. In Christo verò consideremus quatuor dotes corporis gloriosi, Claritatem, Impassibilitatem, Agilitatem, Subtilitatem. REFL. Discamus in tribulatione, fortes esse fide & spe, exemplo B. Virginis. In Christo verò, id quod Contempl. *Regni Christi* perpendimus; quò major fuit labor, eò majus futurum gaudium.

VOL. Nos quoque cum B. Virgine eliciamus fidem & spem: & Christo glorioso gratulemur.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus voces Angelorum, & Sanctorum cum Christo ingredientium conclave B. Virginis.

INTEL. e Christo canebant: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Apoc. 5. Ad B. Virginem verò, *Regina Cæli letare, Alleluja. &c.* REFL. Cogitemus, quòd in mundo nil canitur *sua-vius, auditur nil jucundius*, quàm illud canticum ad Jesum & Mariam.

VOL. Conjungamus voces nostras cum illis, & Christo ac B. Virgini congaudeamus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Quod Christus redivivus, comitatus Patribus è limbo eductis, Angelis, &c. primùm visitaverit Matrem suam.

INTEL. Nec mirum; nam illa præ cœteris particeps fuerat laborum ac molestiarum filii. REFL. Si nos pariter cum Rege nostro in labore fuerimus, etiam victoriæ pariter erimus participes.

VOL. Confirmemus nos in iis, quæ propofuimus in Contemp. *Regni Christi*, & fidem ac spem, excitemus.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus neque sepulchro, neque ullo obstaculo impeditus ad Matrem gloriosus ingreditur.

INTEL. En ut Divinitas non amplius se abscondat, sicut in passione; sed variis modis & miraculis se ostendat. REFL. Talia miracula Divinitas erga commilitones Christi exerit post mortem nostram.

VOL. Hæc spes futuræ gloriæ à nobis excitetur in omni tribulatione.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Quomodo ad Christi apparitionem deterfa fuerit omnis tristitia in B. Virgine.

INTEL. Non tantùm post mortem; sed etiam in hac vitâ Dominus solatur suos plus quàm amicissimus quisque facere posset. REFL. Verè non est sanæ mentis, qui hæc sciens non avidissimè se Christi servitio addicit.

VOL. Eliciamus actus fidei & spei, & dicamus: *Non sum turbatus, te Pastorem sequens.* Jerem. 17.

COLLOQ. Ad Christum gloriosum, petendo tres virtutes Theologicas, & gaudium cum ipso, & Beata Virgine in Spiritu Sancto. RECOL.

MEDITATIO II.

De Apparitione secunda. Marc. 16.
 Myst. punct. 1.

CONG. Ut jam dictum.

PRÆL. I. Summo mane ad monumentum profectæ sunt Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome.

PRÆL. II. Conspicere viam ad monumentum.

PRÆL. III. Petere gratiam, quærendi diligenter, & inveniendi Christum.

Nota: Hæc Meditatio, & nonnullæ aliæ habent tantum tria puncta meditationis, quia punctum Mysteriorum, necdum proponit quid Divinitas, in Christo ipso, vel in aliis operetur.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Speculemur tres illas Mulieres euntes ad Sepulchrum Christi.

INTEL. Erant instructæ aromatibus, *ut venientes ungerent Jesum.* Marc. 16. **REFL.** Sic nos, dum imus ad S. Communionem, vel quærimus Jesum, debemus nobiscum ferre aromata virtutum.

VOL. Deploret paupertatem suam, & inopiam virtutum. Confugiamus ad Deum à quo est *omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Jacob. 1.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Mulieres dixerunt ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti? Marc. 16.*

INTEL. Notemus in Mulieribus illis constantiam: quamvis enim hoc dicerent, non idè omitterebant bene cœptum iter. REFL. Sic nos in arduis constantes esse oportet.

VOL. Petamus à Deo donum *Fortitudinis*, & cogitemus in arduis negotiis, nobis dici à Christo, quod dixit Paulo Act. 23. *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Mulieres illæ, valde manè unâ Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam Sole. Marc. 16.*

INTEL. Non mirum est postea à Mulieribus inventum fuisse Christum: nam ipse dixerat Prov. 8. *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* REFL. Examinemus quomodo transigatur meditatio nostra matutina.

VOL. Vigilemus, & quæramus Christum cum Mulieribus *valde manè*, dicamus cum Davide Psal. 62. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.*

COLLOQ. Ad Christum gloriosum petendo gratiam, ut dicere possimus cum Propheta Psal. 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo.* & Psal. 118. *Prævenere oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO III.

De Apparitione secunda. Marc. 16.
 Myst. punct. 2.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Viderunt Mulieres lapidem revo-
 lutum, & Angelum loquentem audierunt.

PRÆL. II. Inspicere locum sepulchri.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum per An-
 gelos loquentem audiendi, & sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspicere Mulieres
 jam in ipso loco sepulchri constitutas, & lapi-
 dem revolutum.

INTEL. Comparemus illarum statum interio-
 rem in loco, cum illo, qui erat in viâ: quando
 enim *respicientes viderunt revolutum lapidem.*
 Marc. 16. tunc anxietas, quam habuerant de lapi-
 de, versa est, in consolationem interiorem. REFL.
 Talis vicissitudo desolationis, & consolationis
 frequens est in hac vitâ. Ideo juxta Reg. 11.
 hebd. 1. *de disc. Spir.* In desolatione erigendus
 animus spe consolationis: & in consolatione pa-
 randus ad desolationem.

VOL. Cum magnâ fiduciâ resignemus nos in
 hoc totos in voluntatem Dei, qui *mortificat &*
vivificat, deducit ad inferos & reducit: Dominus
pauperem facit, & ditat: humiliat & sublevat. 1.
 Reg. 2.

PUN.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Angelus dixit: *JESUM quæritis Nazarenum, surrexit: non est hic.* Marc. 16.

INTEL. Qui sincerè JESUM quærunt, facilè à spiritu bono audient: non est hïc; non est in hoc statu, de quo deliberas. **REFL.** Sed in hoc debemus nos examinare; an JESUM sincerè & solum quæramus. Electio enim necesse est, ut *semper pura & clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.*

VOL. Quoniam in omnibus rebus tanti interest bene eligere, oremus Christum, ut per Angelos suos nos velit dirigere, & ut det gratiam sincerè ipsum, & quidem crucifixum quærendi.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Angelus dixit *Mulieribus...* non est hïc. *Surrexit enim sicut dixit.* Matth. 28.

INTEL. Perpendamus, quòd Christus primùm per Angelos nunciaverit Mulieribus illis resurrectionem. Nam ut Suarez scribit in Regulas hebd. 1. de *disc. Spir.* una ex præcipuis functionibus Angelorum est dare bonas inspirationes suis clientibus. **REFL.** Hinc concludamus quid debeamus Angelis nostris custodibus.

VOL. Excitemus affectum reverentiæ, fidei, &c. erga Angelos nostros custodes, de quibus multa in Scripturis & SS. Patribus.

RECOLLECTIO.

Z S

ME

MEDITATIO IV.

De Apparitione secunda. Marc. 16.

Myft. punct. 3.

CONG. Sicut in Med. I. habetur,

PRÆL. I. Apparuit Mariæ Magdalena, quæ aliis digressis, juxta sepulchrum restitit.

PRÆL. II. Videre locum sepulchri.

PRÆL. III. Petere, ut cum Maria Magdalena possimus cum gaudio amare Christum gloriosum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Mariam Magdalenam ad sepulchrum solam remanentem.

INTEL. Speculemur eam plorantem. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Joan. 20. Hæ erant lacrymæ vehementis amoris erga Christum. **REFL.** Comparemus languidum nostrum amorem cum illo Mariæ Magdalena.

VOL. Excitemus affectus perfectæ charitatis erga Christum, & Spiritus Sancti gratiam ad hoc imploremus: *Veni S. Spiritus, & tui amoris ignem in nobis accende. &c.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dicit ei Jesus: Maria.* Joan. 20.

INTEL. Hæc unica vox Christi detestit

omnes

omnes lacrymas, vel potius omnem dolorem; nam fortè lacrymæ amoris abundantius fluebant. REFL. Hinc patet, quàm potens sit verbum Christi.

VOL. Accusemus amorem nostrum languillum, petamus remedium dicentes: Domine *tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Maria existimabat, *quia Hortulanus esset*, quem videbat. Joan. 20. nec nisi post colloquium aliquod agnovit Christum.

INTEL. Sic Christus plenam consolationem solet differre, *ut probemur, quinam simus, & quomodo in Dei servitium, & honorem, absque præsentente quodam consolationum... stipendio nosmet impendimus.* Reg. 9. hebd. 1. de *disc. spir.* REFL. Examinemus, quàm tepidi nos simus, dum non adest illud stipendium consolationis.

VOL. Exerceamus actus resignationis in hoc puncto, quales habet libellus de Imitatione Christi, lib. 3. Cap. 17.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus manifestavit se Magdalenæ.

INTEL. Consideremus gloriosam mutationem, Magdalena viderat Christum ligatum, cruci affixum, morientem: nunc videt ipsum liberum, pro libitu se abscondentem, vel manifestantem redivivum. REFL. Fides nos jubet etiam sperare *in libertatem gloria filiorum Dei.* Rom. 8.

VOL. Quando talem spem habemus, renovemus affe-

affectum indifferentiæ erga longam vel breve vitam, sicut in Meditatione *Fundamenti* elicimus.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. RE-
 cogitemus consolationem Magdalenæ Christo cognito.

INTEL. Ratiocinemur, quod præ multis aliis Christus hanc gratiam ipsi impenderit, quia adstitit Christo morienti. **REFL.** Nos quoque si constanter compassi fuerimus Christo, poterimus ejus solatia etiam in hac vitâ expectare.

VOL. Dicamus cum Apostolo: Gal. 2. *Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.*

COLLOQ. Ad Christum redivivum, petendo gratiam cum illo patiendi, prout in *Medit. de vexillis*, ut participes aliquando fiamus victoriae.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO. SENSUUM.

MEDITATIO V.

De Apparitione tertia. Matth. 28.

Myst. punct. 1.

CONG. Propria toti huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Mulieres cum timore, & gaudio à monumento redirent: Discipulis narrarent, quæ de resurrectione audiverant.

PRÆL. II. Imaginari viam, per quam redibant.

PRÆL. III. Petere gratiam Christum quærendi, & dignè prædicandi.

PUN-

DUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Mulieres exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno.* Matth. 28.

INTEL. Gaudebant, quia sciebant Christum ubi non esse, sed surrexisse. Causa timoris, inter ceteras erat, quod nescirent, ubinam esset. REFL. Idem nobis accidit, dum Jesum quærimus per Regulas electionis. Non sine gaudio audimus, *non est hic*: non est in hoc statu, hoc negotium non est eligendum. Sed timor manet, quamdiu nescimus, quid amplectendum.

VOL. Statuamus benè vacare Regulis electionis: petamusque donum *consilii*, ut non tantum intelligamus, ubi Christus *non sit*; sed etiam ubi *est*. Non tantum sciamus malum, à quo declinandum; sed etiam bonum, quod faciendum.

DUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus mulieres in reditu, inter se loquentes.

INTEL. Sanè non lubebat illis loqui de rebus mundanis, & vanis: de iis, quæ Jerosolymis vel in imperio Romano gerebantur: sed tantum de Myserio Resurrectionis. REFL. Si nos quoque quæreremus eo fervore Christum, non placerent quoque rumores vani.

VOL. Doleamus de inanibus colloquiis: Dicamus Deo: *narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.*

DUNCTUM III. OPERA. MEM. *Mulieres exierunt cito de Monumento ... currentes nuntiare Discipulis ejus.* Matth. 28.

INTEL.

INTEL. Hoc proprium est illis, qui Spiritu Sancto pleni sunt, loqui magnalia Dei, eaque alio citò annuntiare, & divulgare: Sic enim laudando opera Dei, satisfaciunt optimè fini creationis suae. REFL. Examinemus, an in nobis sit talis Spiritus, qui faciat nos currere, & citò currere ad Myſteria Dei divulganda.

VOL. Agnoscamus nos procul abesse ab illo spiritu, qui est Spiritus Apostolicus Societatis: Renovemus, & suscitemus in nobis illum Spiritum: Dicamusque cum Propheta, Ps. 39. *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiâ magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine tu scisti. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi.*

COLLOQ. Ad Christum gloriosum, petendo Spiritum Apostolicum, quo non tantùm in privatis colloquiis; sed etiam prædicatione, & aliis viis promulgemus ejus mortem, & resurrectionem.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VI.

De Apparitione tertia. Matth. 28.
Myſt. punct. 2.

CONG. Non mutatur.

PRÆL. I. Quomodo Christus redeuntibus apparuerit in viâ, & illæ ipsum adoraverint.

PRÆL.

PRÆL. II. Imaginari sibi locum istius apparitionis.

PRÆL. III. Petere ut cum Mulieribus possimus participes fieri istius gaudii, & incrementi amoris erga Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Mulieres illas in reditu, plenos etiamnum timore, & gaudio.

INTEL. Hæc omnia sciebat, & spectabat Christus; nec tamen timorem illum manifestando se detergebat. REFL. Applicemus hoc illis verbis, quæ habemus Reg. 7. hebd. 1. *de disc. spir. Assistente nobis presidio divino; quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur.*

VOL. Ex hac veritate magnos animos, magnam fiduciam de Dei Assistentia concipiamus in timore & desolatione: *quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Pl. 15. Quamvis necdum se clarè manifestet.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Ave. Matth. 28.*

INTEL. Atque ecce ad unicam illam vocem detergitur omnis timor. Non nominat illas Christus, sicut nominaverat in præcedenti apparitione dicens: *Maria*, & tamen singulæ dicere poterant: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Cant. 5. REFL. Recordemur, quod meditati sumus de 2. vexillis, ubi vidimus Ducem impiorum *horribilem figurâ, vultuque terribilem: Christum valde speciosum formâ & aspectu summè amabi-*

amabilem. Hinc quoque discimus, quàm amabilis sit Christi vox, contraria voci diaboli.

VOL. Dicamus ad Christum: *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua docora.* Cant. 2. Sed simul parati esse debemus, ad dicendum: *vocavi, & non respondit mihi.* Cant. 5. Quia habet tempora desolationis, & consolationis.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Illæ autem accerserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Matth. 28.

INTEL. Fecerunt, sicut legitur *Can. 3. Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* **REFL.** Discamus hinc in consolatione, accedere magis ad Christum, amplexari illum, & adorare, nec dimittere illum datâ à nobis occasione. Quod si spontè (quod sæpe fit) abierit, tunc aspirandum, & dicendum: *Revertere: similis esto dilectæ mi capræ, &c.* Cant. 2.

VOL. Habemus ex his affectus charitatis, spei, aliosque, quos possimus excitare.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. *Et ecce Jesus occurrit illis.* Matth. 28.

INTEL. Perpendamus, quomodo divinitas, antè abscondita pergat tot miraculis se prodere: per Angelos, per amotionem lapidis, per apparitionem Magdalenæ factam: & jam occurrendo Mulieribus. **REFL.** Etiam in nobis miracula fient, quando consecuti fuerimus felicem immortalitatem.

VOL. Dicamus: *Quando veniam & apparebo antè faciem Dei?* Ps. 41. Et adspiremus ad finem illum beatum.

Pun.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA, MEM. Dixit Jesus illis: *Avete.*

INTEL. Consideremus quot modis hætenus Christus suos sit solatus, & quot formis. Apparuit B. Virgini formâ haud dubiè magis gloriosâ; postea quodammodo per Angelos; deinde per modum hortulani; Nunc in formâ aliâ Verè dici potest, quòd esset *ludens in orbe terrarum*: & ipse dicere: *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Prov. 8. REFL. Consideremus Regulas de *disc spir.* & modos, quibus Christus solet cum anima devota agere, & comperiemus hunc lusum etiamnum durare.

VOL. Agamus gratias pro tantâ bonitate, & tanto amori amorem nostrum reponamus, & totos nos in sinum providentiæ ipsius conjiciamus.

COLLOQ. Ad Christum redivivum, petendo lumen, ut possimus ejus in nos dilectionem cognoscere, & inde ad redamandum magis inflammari. RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO. VII.

De Apparitione tertiâ. Matth. 28.

Myſt. punct. 3.

CONG. Dum evigilamus congaudere Christo
aliisque, quibus apparuit, ut dictum est.

PRÆL. I. Quomodo Christus miserit Mulieres
nunciatum Discipulis, ut eant in Galilæam.

PRÆL. II. Conspicari locum, ubi Christus Mulie-
ribus apparuit, & hoc mandavit.

PRÆL. III. Petere gratiam congaudendi Chri-
sto, cumque ob spem gloriæ arctius sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Mu-
lieres adorantes cum timore Christum, qui
dicebat: *Nolite timere.* Matth. 28.

INTEL. Ratiocinemur hunc timorem oriri ex
reverentiâ, & amore. Timebant videlicet, ut illi
adorationem, & reverentiam debitam redderent.
Hic timor non impedit gaudium ortum ex Chri-
sto viso; Nam sic in Cœlo Deum visum adorant,
& tremunt Potestates. REFL. Examinemus nos ip-
sos, an talem reverentiam & timorem habeamus
in oratione, dum adoramus Christum tamquam
præsentem.

VOL. Anhelemus ad gratiam ejusmodi rever-
entiæ & timoris. Petamus hanc gratiam à Chri-
sto, & dicamus: *latetur cor meum, ut timeat no-
men tuum.* Pf. 85.

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Tunc ait illis Jesus ...
ite, nunciate fratribus meis.* Matth. 28.

INTEL. Vox illa ostendit esse Christum summè amantem. Nisi enim talis esset, non proveniret ab ipso vox tam amabilis, quâ vocat Discipulos suos *fratres*. Alibi, dixerat illis : *Vos amici mei estis.* Joann. 15. REFL. Concludamus, nos non esse sanæ mentis, si non cupidissimè Regem tam amantem sequamur.

VOL. Effundamus nos totos in actus amoris erga Regem tam amabilem & suorum amantem.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Mandat Christus per Mulieres Discipulis, *ut eant in Galilæam.* Matth. 28.

INTEL. Quamvis Christus, etiam antequam irent in Galilæam, ostenderit se Discipulis; mandat tamen, ut eant in Galilæam; qui volebat opere ipso implere fidem, quam ante verbo ipsis dederat, quòd ibi essent illum visuri. REFL. Docemur hîc servare fidem aliis datam, estque *fides* unus ex fructibus Spiritus Sancti, oriturque ex charitate. Examinemus igitur charitatem nostram & fidem aliis datam.

VOL. Invocemus Spiritum Sanctum, ut infundat in nos fructus illos descriptos ad Galat, 5. nominatim *fidem*, non nixam rationibus humanis; sed sincerâ charitate.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus ante mortem dixerat. Matth. 26. *Præcedam vos in Galilæam.*

INTEL. Ratiocinemur, quomodo Divinitas post mortem miraculis se manifestet. Ante mortem, non sine labore, Christus iter faciebat in Galilæâ. Nunc verò quando opere vult fidem suam exsolvere, utitur ad hoc dote *Agilitatis*, & corpus suum gloriosum esse demonstrat. REFL. Cogitemus nos quoque post mortem dotibus gloriosi corporis ornandos, si in vitâ cum Christo laboraverimus: *labori enim præmium respondebit.*

VOL. Hac certâ spe freti, dicamus cum ingenti affectu: *Enô Rex supreme. &c.*

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Repetamus verba Christi: *Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis. &c. Matth. 28.*

INTEL. Estimemus ex his verbis quàm prompto, copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibitâ consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari posset, similitudine. REFL. Examinemus nos, an divinis illis solatiis non prætulerimus vana & humana.

VOL. Toto corde amplectamur tertium humilitatis modum, sentiemus enim in humilitate Christi, etiam in hac vitâ verum esse: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, Ps. 33.*

COLLOQ. Tertii gradus humilitatis, propositâ certâ spe gloriæ post hanc vitam, & auxilii ac solatii divini in hac vitâ. RECOLLECTIO.

MEDITATIO VIII.

De Apparitione quartâ. Luc. 24
Myst. punct. 1.

CONG. Ut dictum.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit Petro, postquam hic cucurrisset ad monumentum.

PRÆL. II. Videre locum in viâ ad monumentum, ubi Petro apparuit.

PRÆL. III. Petere gratiam, promptè sequendi Christum etiam dum per alios nos vocat.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Mulieres illas, jam reduces à sepulchro, accedentes ad Petrum, aliosque Discipulos.

INTEL. Consideremus in Mulieribus interius animi solatium, quod habebant de rebus visis & auditis: solitudinem, ut, prout mandatum erat, gaudium suum aliis communicarent. Hæc solitudo ex oculis, vultu, gestu, totoque corporis habitu, qui gaudium cœleste spirabat, poterat cognosci. REFL. Comparemus solatia nostra interiora, & aviditatem aliis narrandi, cum aviditate & solatiis istarum Mulierum: inveniemus solatia nostra sæpe à rebus vanis oriri.

Vol. Fateamur, cum dolore & proposito emendationis, quòd interdum pleni simus, non solatiis

Cœlestibus, sed terrenis, & cum Davide Psal. 118. precemur Deum: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.* Nam reverâ in Christo, qui est Sapiencia æterna, & in amicitia illius delectatio bona. Sapienciæ Cap. 8.

PUNCTUM, II. VERBA. MEM. Audiamus Mulieres illas Discipulis narrantes, de sepulchro, de apparitione sibi facta, de iis, quæ Angeli dixerant, & Christus.

INTEL. Non lubebat illis totâ die de aliis rebus loqui; nec Petrus aliique Discipuli, aliud volebant audire, præter illa, quæ pertinebant ad Mysterium Resurrectionis. REFL. Sic fit quoque in nobis, si in meditatione Mysteria ejusmodi benè fuerimus contemplati: Sin minùs, ad vana colloquia facile delabimur.

VOL. Accusemus nos de multis verbis odiosis & vanis colloquiis: Excitemus desiderium, ut repleamur potiùs cogitationibus sanctis, & ut in meditatione exardescat ignis, tunc poterimus dicere cum Davide. Ps. 44. *Eruçtavit cor meum verbum bonum.* & Ps. 141. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum.* Luc. 24.

INTEL. Ex colloquiis & narratione Mulierum, ita incitatus erat Petrus, ut jam non iret, sed curreret ad monumentum. REFL. Nos verò sæpe non currimus;

mus ; sed cum tœdio lentè nos conferimus ad mysteria Christi meditando indaganda.

VOL. Executiamus illum torporem, & cum Petro curramus ad inspicienda Christi mysteria : dicamus illi: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Pl. 118. manè proinde citò evigilemus, & properemus, ad congaudendum cum Christo.

COLLOQ. Conforme contemplationi *Regni Christi*, petendo, *ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum ac obtemperandum prompti simus.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO. SENSUUM

MEDITATIO. IX.

De Apparitione quarta. Luc. 24.

Myst. punct. 2.

CONG. Congaudere Christo redivivo, dum evigilamus, sicut explicatum est.

PRÆL. I. Quomodo Petrus introgressus monumentum, sola viderit lintheamina, quibus fuerat involutum corpus.

PRÆL. II. Repræsentare sibi locum sepulchri, & lintheaminum.

PRÆL. III. Petere desiderium inflammatum agnoscendi Christum, illum inveniendi, illique congaudendi.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Petrum jam cursu perlatum usque ad monumentum.

INTEL. Consideremus in Petro tertiam & quartam virtutem positam inter octo Beatitudines. Nam esuriebat & sitiebat justitiam : lugebatque eò, quòd Solem justitiæ non inveniret. **REFL.** Respiciamus nos, an talem esuriem, sitim & luctum habeamus.

VOL. Fateamur cum pudore & dolore, quòd nos potius mundana & vana esuriamus, & lugeamus illorum amissionem : dicamusque cum Davide : *Quemadmodum desiderat cervus &c. Siti- vit anima mea ad Deum &c. fuerunt mihi lacry- ma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quo- tidie, ubi est Deus tuus? &c. Ps. 41.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Petrum cum Joanne, & secum loquentem.

INTEL. Ratiocinemur, eum hæc aut similia dixisse : *Quæram, quem diligit anima mea ; quasi vi il- lum, & non inveni.* Cant. 3. **REFL.** Si nos interro- garemur, sicut Christus interrogavit Mariam ad sepulchrum : *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Joan. 20. quid responderemus?

VOL. Corrigamus affectum nostrum, quia alia quærunt, extra Jesum : ut nobis possit dici, quòd Angeli dixerunt Mulieribus Matth. 28. *Nolite timere vos : Scio enim, quòd Jesum, qui crucifi- xus est, quæritis.* Iungamus igitur desideria no- stra, cum desideriis Petri, PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Petrus *introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Joan 20.

INTEL. Discamus hinc, quòd si velimus Jesum quæri ere gloriosum, prius cum Petro eundum sit ad sepulchrum, & introeundum sedulâ Meditatione: Nam Petrus meditando de iis, quæ viderat in sepulchro, erat *secum mirans, quod factum fuerat.* Luc. 24. **REFL.** Examinemus, quomodo nos simus affecti erga meditationem de Passione & morte Christi.

VOL. Nos quoque introeamus in Meditationes de Christo, crucifixo, mortuo, & sepulto, ut postquam compassi fuerimus cum ipso, congaudeamus cum ipso redivivo.

COLLOQ. de 2. Vexillis: Nam vexillum Christi, est Crux Christi, quæ ducit ad gloriam.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO X.

De apparitione quarta. Luc. 24.

Myft. punct. 3.

CONG. De more.

PRÆL. I. Quomodo Christus sese ostenderit Petro cogitanti de his, quæ viderat in Sepulchro.

PRÆL. II. Videre locum in quo Petrus cogitabundus manebat.

PRÆL. III. Petere gratiam, benè quærendi, & inveniendi Christum, eique congaudendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum Petro apparentem. *Nam surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Luc. 24.*

INTEL. Credibile est Dominum non apparuisse Petro in minori gloriâ, quàm olim in transfiguratione. Petrus igitur, qui lugebat. eò quod Solem Justitiæ perdidisset, tandem sic invenit plenam consolationem. REFL. In nobis non invenitur ejusmodi illuminatio & consolatio, quia luctus noster magis est de amissione & carentiâ vilis rei temporalis, quàm solis justitiæ, qui est Christus.

VOL. Nos suspiremus ad solum Christum, vilipendentes cætera, & dicentes: *omnia detrimentum feci & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrificiam Phil. 3.* & ad Christum: *Illustra faciem tuam super servum tuum, Ps. 30.* tunc enim exclamabimus:

mus;

mus: *quam magna multitudo dulcedinis tua Domine!* ibid.

PUNCTUM III. VERBA. MEM. Cogitemus quid dixerit Petrus: videndo particulam gloriæ Christi redivivi.

INTEL. Dixerat in transfiguratione: *Domine bonum est nos hic esse.* Matth 17. Nunc etiam dicere potuit: *inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam,* Cant. 3. dixerat Ancillæ: *quia non novi hominem* Matth 26. nunc autem sicut olim iterum dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Matth. 16. REFL. Nos quoque postquam Christus vocando nos ad societatem suam, quodammodo apparuit nobis, debemus aliter loqui, quam quando eramus in sæculari conversatione.

VOL. Imitemur Petrum, & cum Paulo 1. Cor. 13. dicamus: *cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Decet nos non nisi cum Deo, vel de Deo loqui.

PUNCTUM III. OPERA MEM. Recordemur quomodo Petrus cucurrerit ad monumentum, viderit linteamina posita, ac postea meditabundus super illis, viderit Christum redivivum.

INTEL. Nimirum alia non est via, videndi Christum redivivum, quam cursus ad monumentum; hoc est ad meditationem paupertatis, opprobriorum, & passionis Christi: Præmissâ tamen in
prima

prima hebdomade, verâ pœnitentiâ: Nam Petrus antea, *flevit amare*. REFL. Nos hinc discamus, quare non fiamus participes gloriæ Christi & felicitatis, quia nempe, non factis cum Petro in Mysteriis primæ, & tertiæ hebdomadæ versati sumus.

VOL. Doleamus de negligentia nostrâ, & pœnitentiam, & meditationem ac imitationem passionis Christi, paremus nos, ut participes fiamus ejus gloriæ: juxtâ illud, quod idem Petrus nos docuit: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloria ejus, gaudeatis exultantes*. 1. Pet. 4.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Repræsentemus nobis Christum apparentem Petro, qualis apparuerat illi in monte.

INTEL. Petrus, quamvis à longè Dominum in passione secutus fuerit, vidit tamen quando divinitas se abscondebat, & permittebat Christum capi, ligari, opprobriis saturari &c. nunc autem vidit divinitatem tot signis & miraculis se prodentem. Hinc illæ ipsius voces: *Deus & Pater... regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, &c.* 1. Pet. 1. REFL. Eandem spem vivam oportet nos quoque habere.

VOL. Excitemus fidem & spem cum Christo conregnandi, & hac spe roboremus nos, dum in hac vitâ permittit nos Deus aliquid pati.

PUNCTUM. V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.
Recolamus totam seriem rei gestæ, de quâ
meditamur.

INTEL. Perpendamus, quomodo Christus con-
solatus sit Petrum: primùm quidem per Mulieres
adeum missas, deinde per inspectionem lintheami-
num absente corpore; denique per seipsum. **REFL.**
Sic Deus per intervalla, & gradus quosdam nos
quoque consolatur.

VOL. Laudemus Deum, qui est *Pater misericor-*
diarum, & Deus totius consolationis; qui conso-
latur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus,
& ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt. 2.
Cor 1. Gratias Deo agamus ingenti affectu.

COLLOQ. Per quæ petamus fortitudinem pa-
tiendi, nixam spe gaudendi cum Christo

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-

MEDITATIO XI.

*De apparitione quintâ. Luc. 24.
Myft. punct. 1.*

CONG. Delibare instantem Meditationem, & excitare desiderium congaudendi Christo.

PRÆL. I. Quomodo apparuerit duobus euntibus in Emmaus, & de se loquentibus.

PRÆL. II. Imaginari sibi viam in Emmaus.

PRÆL. III. Petere gratiam rectè ambulandi, & loquendi cum Christo in oratione.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Convertamus oculos ad Discipulos duos euntes in Emmaus.

INTEL. Notemus illos fuisse in quadam desolatione, quæ est *animæ obtenebratio ... trahens in diffidentiam, unde se anima tristari .. sentit.* Reg. 4. hebd. *disc. spir.* **REFL.** Notemus nobis quoque in viâ spirituali nonnumquam obvenire ejusmodi obtenebrationem, & desolationem.

VOL. Statuamus in ejusmodi desolatione dirigere nos juxtà Reg. 6. *ibid.* & insistere orationi, dicendo: *Deus meus illumina tenebras meas.* Ps. 17.

PUNCTUM II. VERBA MEM. Audiamus quid Discipuli illi inter se loquantur.

INTEL. Nimirum loquebantur de ijs, quæ de Christo audiverant, & viderant, tum de ejus morte,

te, tum de resurrectione. REFL. Nos verò in desolatione sæpè vanos sermones amamus, ut dici de nobis possit: *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. 2. Timot. 4.

VOL. Nos deinceps studeamus de Mysteriis Divinis cogitare & loqui, nobisque dictum puteamus: *ineptias autem & vaniles fabulas devita*. 1. Tim. 4. *Tu autem loquere qua decent sanam doctrinam*. Tit. 2. de similibus si non clarè intelligendo, saltem inquirendo loquamur, sicut loquebantur hi Discipuli.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Meminerimus, quod Discipuli illi iverint in Emmaus.

INTEL. *Emmaus*, significat, *Timens consilium*, Discedebant Discipuli illi à Petro & Apostolis, à quibus poterant petere, & accipere consilium, in suâ desolatione. REFL. Sic nos timemus interdum Consilium petere à Superiore, vel Confessario. Nam *inimicus noster... summoperè procurat, ut verba & consilia sua occulta sint*. Reg. 13. hebd. 1. *disc. spir.*

VOL. Detestemur inimicum illum, qui est Spiritus tenebrarum, & in campo Babylonico sedet in cathedrâ fumosâ. Servemus Reg. Summ. 41. nec celemus tentationes nostras, sicut ibi præscribitur.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus ambulat cum Discipulis illis specie peregrini.

INTEL. Latebat quidem Divinitas sub specie peregrini: ingens tamen erat miraculum, quod post mortem Christus redivivus, pro arbitrio suo, quocumque modo, quocumque vellet loco, se sisteret.

REFL.

REFL. Hæc est libertas Filiorum Dei, quæ post mortem etiam nos manet.

VOL. Consolemur nos certâ spe similis libertatis, quam consequemur, si hic propter Christum nostrâ nos libertate exuerimus. *Suscipe Domine universam libertatem meam. &c.*

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Maneamus aspicientes Christum ambulantem cum Discipulis, qui ipsum non agnoscebant.

INTEL. Attamen Christi, quamvis non agniti consortium, ipsis non parvum levamen erat in desolatione. REFL. Sic nobiscum in desolatione juxtâ Reg. 7. hebd. 1. *disc. spir.* agitur sæpè, *assistente nobis jugiter præsidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur, aut cognoscatur.*

VOL. Dicamus proinde fidenter in desolatione, *Dominus à dextris est mihi, ne commovear. Ps. 15.*

COLLOQ. De 2. Vexillis: petendo *donum fortitudinis* contrâ insidias inimici, & *spem futura gloria*, ac præsentis præsidii in hac vitâ,

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XII.

De apparitione quintâ. Luc. 24.

Myſt. punct. 2.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo Christus redarguerit incredulitatem Discipulorum euntium in Emmaus, eosque docuerit.

PRÆL. II. Prosequi mentis oculis Christum cum iis ambulantem.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ & ferventis fidei.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus duos illos Discipulos ambulantes, & tristes: Nam Christus dicebat illis, *Et estis tristes?* Luc. 24.

INTEL. Tristitia illa oriebatur ex defectu spei: dicebant enim: *Nos autem sperabamus*, redemptionem scilicet Israël, & resurrectionem: indicantes se quasi spe illa jam excidisse. REFL. Sic in nobis defectus spei, sæpe causa est desolationis, & tristitiæ; quamquam juxtâ. Reg. 4. hebd. 1. *disc. spir.* ipse ille defectus est quoque desolatio, & auget desolationem.

VOL. Caveamus nobis ab illo spei defectu, ne fortè occupet nos quoque tristitia, & desolatio. Excitemus actus spei, quibus S. Scriptura, & Psalmi pleni sunt: dicamus Deo: *latentur omnes, qui sperant in te.* Ps. 5.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit illis: O stulti, & tardi corde ad credendum. Luc. 24.

INTEL. Audiverant Christum loquentem non tantum de sua passione; sed etiam de gloria resurrectionis: stulti vocantur, quia non satis credebant. REFL. Nos quoque in Contemplatione Regni Christi, audivimus Christum loquentem de laboribus suis, & de gloria Regni sui: & ibi quoque bene subjungitur *neminem fore sanæ mentis*, qui non credat, nec sequatur Christum.

VOL. Confiteamur, & dicamus Deo, *tu scis insipientiam meam*. Ps. 68. Sed deinceps petamus donum *Sapientia & Intellectus*, ad intelligentiam illam veritatem: *Nonne hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. & ad idem credendum, & nobis applicandum.

PUNCTUM III. VERBA. MEM. Cogitemus, quomodo Christus redarguerit ipsorum incredulitatem.

INTEL. Sanè redarguit illos severè, & verbis satis asperis, *o stulti*. &c. REFL. Hinc discamus, quod nonnumquam errantes redarguendi sunt severiùs, ut reducantur in viam salutis. *Argue, obsecra, increpa*, ait Apost. 2. Tim. 4.

VOL. Resuscitemus in nobis Zelum, pro gloria Dei, & salute proximi. Dicamus cum Propheta Ps. 72. *quia zelavi super iniquos*.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus incipiens à Moysè, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Luc. 24.

INTEL. Potuissent ex tantâ notitiâ Scripturarum Discipuli illi cogitatione concipere, aliquid divinum latere in peregrino illo, & mirari. *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Joan. 7. REFL. Talis Scientia Sanctorum manet nos post hanc vitam, si Christum benè secuti fuerimus. *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte.* &c. I. Cor. 13.

VOL. Hinc animos nostros erigamus ad strenuè laborandum cum Christo. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua,* Ps. 16.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Discipuli illi avidissimè audiebant Christum, & toti pendebant ex ore ipsius.

INTEL. Sicut qui audiunt pulcherrimam orationem, aut expositionem arcanæ doctrinæ, cum gustu, & solatio illam audiunt: Sic Discipuli illi delectabantur illa interpretatione Christi. REFL. Sic Deus consolatur nos in hac vitâ, loquendo, & erudiendo nos, vel per scripturas, vel per alios libros pios, vel per inspirationes interiores. &c.

VOL. Agamus gratias pro tot modis consolandi nos in hac vitâ. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Ps. 118.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam veræ fidei,
B b 2
spei,

spei, & charitatis: ut magnis animis militemus sub vexillo Christi.

REGOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM

MEDITATIO. XIII.

De Apparitione quintâ. Luc. 24.

Myft. punct. 3.

CONG. Desiderium magis cognoscendi Christum redivivum, eique congaudendi.

PRÆL. I. Quomodo Christus rogatus manserit cum Discipulis, agnitusque in fractione panis disparuerit, & illi subitò reversi in Hierusalem narra verint omnia Apostolis,

PRÆL. II. Aspiciere locum, in quo Christus agnitus fuit ex fractione panis.

PRÆL. III. Petere gratiam cognoscendi, & amandi Christum, eumque aliis annuntiandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ MEM. Videamus Discipulos illos cum Christo in Emmaus cœnantes.

INTEL. Contemplemur illos totos in revolven- do colloquio habito in viâ, & fixos in contem- platione Christi præsentis. **REFL.** Sic nos, si in col- loquiis, & studiis spiritualibus sedulò versemur, benè observabimus Regulam 5. & 7. *de Victu*: ne- que animus tam effusus erit super sumendos ci- bos.

VOL. Decernamus Regulas illas nobis reddere familiares, & Christum nobis ubique habere præ- sen-

sentem, ne nimium capiamur gustu rerum vanarum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Discipulos illos primò loquentes ad Christum, *mane nobiscum, quoniam ad vesperas cit.* Luc. 24. deinde Jerosolymis narrantes aliis Discipulis, quæ audierant, & viderant.

INTEL. Locuti fuerant ferventer cum Christo, ideo etiam apud alios de Christo instituebant colloquia. **REFL.** Sic contingit nobis, si in meditatione ferventia cum Christo instituerimus colloquia, apud alios labia nostra, *memoriam abundantia suavitatis Christi eructabunt.* Pl. 144. At frigidi in meditatione ad fabulas convertuntur.

VOL. Concipiamus animos ad ferventia in meditatione cum Deo, & apud alios de Deo colloquia. Doleamus de languore nostro in utroque, & meliora deinceps ex charitate erga Christum exerceamus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Discipuli *cognoverunt eum in fractione panis ... & ipse evanuit ex oculis eorum.* Luc. 24.

INTEL. Si consideremus totum hoc mysterium, possumus Christo dicere: *Tu es Deus absconditus.* Isa. 45. nam antè abscondit se sub specie hortulani; nunc sub specie peregrini; atque etiam sub specie panis, juxtà SS. Patres, qui censent ipsum hîc consecrasse: & denique evanuit, totumque se abscondit ab oculis eorum. **REFL.** Perpendamus similia fieri in Sacrà Communione.

VOL. Prostrati antè Venerabile Sacramentum, summo cum affectu dicamus: *Adorè te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas, &c.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Totum Mysterium uno quasi aspectu complectamur.

INTEL. Notemus, quod quamvis divinitas, imò & ipsa humanitas Christi sub specie Peregrini abscondita lateret, tot tamen signis, & miraculis se prodiderit, ut si Christus divinitatis sui fulgorem non sic temperasset, mortales Discipulorum oculi non potuissent in lucem illam inaccessibleem intendere. Sed accessus ad illam lucem reservatur post hanc mortalem vitam. REFL. Inde applicemus nobis illud. 1. Cor. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.*

VOL. Credamus, & speremus hanc vitam æternam. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Pl. 83.*

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. *Discipuli surgentes eadem horâ regressi sunt in Jerusalem. Luc. 24.*

INTEL. Apparet alacritas, & celeritas in regrediendo: nam pleni erant gaudio, pleni igne charitatis: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* dicebant inter se. Sic pleni erant consolatione Spiritus Sancti. REFL. Cum hoc fervore comparemus nostrum languorem.

VOL. Convertamus nos totos ad Deum, non dubitantes de solatiis ipsius nobis communicandis
etiam

etiam in hac vitâ. *Viam mandatorum tuorum curriculum dilatasti cor meum.* Ps. 118.

COLLOQ. Plena fide, & spe, erga Christum tam amabilem Regem nostrum. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIV.

De Apparitione sextâ. Joan. 20.
Myst. punct. i.

CONG. Sicut dictum supra.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli omnes præter Thomam, congregati fuerint, propter metum Judæorum.

PRÆL. II. Locum mente intueri, in quo erant congregati.

PRÆL. III. Petere gratiam, inter adversa, Christo constanter adhaerendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Respiciamus Discipulos congregatos.

INTEL. Consideremus illos: *Sicut oves in medio Luporum.* Matth. 10. hoc est in medio Judæorum, qui militabant sub vexillo diaboli. REFL. Cogitemus nos etiam esse in mundo in medio adversariorum, per quos Dux impiorum conatur nos etiam debere esse congregatos, hoc est, unitos charitate fraterna.

VOL. Petamus gratiam veræ, & sinceræ charitatis fraternæ, quâ invicem diligamus, non ob motiva naturalia, sed propter Deum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Cogitemus sermones, quos id temporis & locis, habuerunt Discipuli inter se.

INTEL. Haud dubiè invicem in memoriam revocabant, quæ Christus prædixerat de sua resurrectione: *Postquam autem resurrexero, pracedam vos in Galilaam* Matth. 26 & *tertiâ die resurget.* Matth. 20. & his similia. **REFL.** Discamus nos quoque talia cogitare & loqui, dum sumus in tribulatione.

VOL. Cum Jobo in angustiis, & persecutionibus dicamus: *Scio enim, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum,* &c. Job. 19.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Cogitemus, quomodo Discipuli sic congregati sibi invicem animos fecerint, & conati sint metum Judæorum superare.

INTEL. Haud dubiè Petrus fecit ibi, quod ipsi mandaverat Christus. Luc. 22. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* **REFL.** Sic etiam debemus nos ipsos, & alios fratres nostros confirmare contra metum, & terriculamenta, quæ per suos Ministros solet injicere Dæmon.

VOL. Imitabimur in hoc deinceps spiritum bonum, cui proprium consuetumque est, *rectè agentibus animum ac vires addere,* &c. Reg. 2. hebd. 1. *disc spir.* idque divinis, non humanis rationibus. *Sederunt Principes, & adversum me loquebantur: Servus autem tuus exarcebatur in justificationibus tuis.* Ps. 118. hoc modo nos, & alios confirmemus in persecutionibus, quas suscitât Dæmon. COL.

COLLOQ. De 2. Vexillis, petendo exploratas habere fraudes mali dæmonis, & gratiam eas vitandi.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XV.

De Apparitione sextâ. Joan 20.

Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium Christo redivivo congau-
dendi.

PRÆL. I. Quomodo Christus ad Discipulos congregatos ingressus sit januis clausis.

PRÆL. II. Videre conclave, quod Christus ingressus est.

PRÆL. III. Petere charitatem, gaudium, & pacem Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus, & recenseamus Discipulos congregatos.

INTEL. Aberat Thomas; sed videntur ex Emmaus accessisse Discipuli duo illi, & in illâ Congregatione participes fuisse claræ apparitionis Christi, quem absentes tantummodò cognoverunt, cum evanesceret ex oculis eorum. REF. Hinc possumus æstimare vocationem nostram ad Congregationem, & Societatem Jesu. Nam in Religioso convictu Christus se suâque Mysteria clariùs communicat, sicut S. Bernardus alicubi describit.

VOL. Agamus gratias pro tanto beneficio, & petamus gratiam perseverantiæ.

B b 5

PUN-

PUNCTUM II. VERBA MEM. Christus *dixit eis: Pax vobis.* Joan. 20.

INTEL. Hæc est pax, *quæ exuperat omnem sensum.* Phil. 4. Oritur verò ex charitate. Nam Gal. 5. inter fructus Spiritus Sancti primo loco ponitur *charitas*, deinde sequitur *gaudium*, *pax*. de hac pace dixerat Christus Joan. 14. *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Nam pax mundana non oritur ex charitate Dei; sed ex *carnis sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellionem.* REFL. Examinemus, qualis sit pax nostra.

VOL. Cum singulari affectu dicamus, quod Sacerdotes roties legunt ex 2. Thess. 3. in officio divino: *Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra in charitate Dei, & patientiâ Christi.*

PUNCTUM III. OPERA MEM. Christus *stetit in medio.* Joan. 20.

INTEL. Hoc est, quod dixerat Matth. 18. *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* REFL. Videamus, an nos in nomine Christi, hoc est, in verâ fraternâ charitate congregati simus.

VOL. Cum ingenti desiderio oremus cum Ecclesiâ: *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane Cælesti satiasti, tua facias pietate concordēs.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. *Cum... fores essent clausæ... venit Jesus.* Joan. 20.

INTEL. Christus in passione sua ligabatur, tenebatur, & abscondente se divinitate, videbatur omnem libertatem amisisse. Nunc exierit se divinitas; & aded liber est, ut nullis parietibus, nullis carceribus possit impediri. REFL. Hoc est donum *penetrabilitatis, sive subtilitatis*, quæ nobis dabitur in Cœlo, si hîc laborum Christi participes fuerimus.

VOL. Reponamus cum Job spem hanc in sinu nostro. *Seminatur Corpus animale, surget Corpus spirituale.* 1. Cor. 15.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Christus dixit eis: *Pax vobis.* Joan. 20.

INTEL. Cogitemus, quantum solatii habuerint Discipuli ex illâ voce, quæ poterat detergere omnem metum Judæorum. REFL. Sic Christus, dum militamus sub ejus vexillo, *consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* 2. Cor. 1.

VOL. Clamemus cum Apostolo Rom. 8. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c.*

COLLOQ. Conformia tertio humilitatis modo.
RECOLLECTIO.

MEDITATIO. XVII.

De Apparitione sextâ. Joan. 20.

Myſt. punct. 3.

CONG. Solita.

PRÆL. I. Quomodo Christus dederit illi
Discipulis Spiritum Sanctum.PRÆL. II. Aspicere conclave, in quo Christus
erat apud Discipulos.PRÆL. III. Petere cum Discipulis gratiam Spi-
ritus Sancti.PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Chri-
stum stantem in medio Discipulorum.INTEL. Non narratur quâ specie apparuerit tunc
Discipulis: certum tamen est, illum apparuisse
*valde speciosum formâ & aspectu summè amabi-
lem*: ita, ut solo aspectu suo oblivionem induceret
metus Judæorum. REFL. Nos quoq; in tribulatione
solatium quærere debemus à Christi præsentia.VOL. Prosterナムus nos in tribulatione antè
Christum in Venerabili Eucharistia latentem,
dicentes: *ostende faciem tuam, & salvi erimus.*
Ps 79.PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit: *quo-
rum remiseritis peccata, remittuntur eis* Jo. 20.INTEL. Perpendamus, quantum beneficium per
hæc

hæc verba tribuatur fragilitati humanæ, ut dum quis peccatis gravatur, habeat, à quo liberetur.

REFL. Consideremus, quomodo in remedium nostræ fragilitatis hætenus sacramento pœnitentiæ usi fuerimus.

VOL. Accusemus languorem nostrum, statuamusque partes omnes hujus sacramti benè observare.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus dedit Discipulis potestatem remittendi, & retinendi peccata.

INTEL. Consideremus, quomodo Discipuli potestate illa usi sint in bonum aliorum. Nempe cum magno labore, exemplo Christi, exierunt per Synagogas, Villas, & Oppida, prædicando pœnitentiam, & peccatores sanando, &c. REFL. Componamus zelum nostrum, cum zelo illo Discipulorum.

VOL. Decernamus deinceps imitari Discipulos & Christum, & cum illa patientia, & mansuetudine suscipere, dirigere, instruere & juvare peccatores, sicut ipsi fecerunt.

PUNCTUM IV. Quid DIVINITAS. MEM. Iterum repræsentemus nobis Christum stantem in medio eorum.

INTEL. In quacumque specie apparuerit Christus, dubitare non debemus quin claritas, quæ est una ex dotibus corporis gloriosi, aliquatenus se prodiderit, & decorem ac pulchritudinem in corpus ac faciem ejus asperferit. REFL. Nos quoque post hanc vitam, *cum apparuerit, similes ei erimus.* 1. Joan. 3.

VOL.

VOL. Certemus sub vexillo Christi, fortes in Fide & Spe futurae illius gloriae.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.
Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.*
Joan. 20.

INTEL. Perpendamus, *quàm prompto, copiosoq; functus sit Dominus consolandi suos officio*: dat ipsis ipsum consolatorem. REFL. Sic nos quoque consolabitur Christus, si numeret nos inter *suos*, qui militant sub ejus vexillo.

VOL. Petamus nos quoque Spiritum Sanctum: *Veni Sancte Spiritus, &c. Consolator optime, &c. In fletu solatium, &c.*

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo fidem, & spem, ac dona & fructus Spiritus Sancti.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XVII.

De apparitione septimâ. Joann. 20.
Myft. punct. 1.

CONG. eadem.

PRÆL. I. Quomodo S. Thomas, qui absens fuerat, protestatus sit, se non crediturum, nisi viderit.

PRÆL. II. Locum, ubi protestatio illa contigit, intueri.

PRÆL. III. Petere gratiam Fidei, Spei, & Charitatis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Contemplemur Thomam segregatum à reliquis, & solitarium.

INTEL. Non solum aberat ab aliis corpore; sed etiam mente. Nam cum alii crederent, esse vera, quæ narraverant Mulieres, & Discipuli reduces ex Emmaus (hi enim *invenerunt congregatos undecim*. Luc. 24. adeòq; & Thomam) ipse dissensit ab eis: unde & ipsi potissimum applicatur illud Lucæ ibidem: *Et visa sunt antè illos sicut deliramentum, verba ista, & non crediderunt illis*. Hinc igitur cogitabundus abiit, & segregatus mansit ad aliquod tempus. REFL. Discamus hinc, quàm noxium sit pertinaciter resistere communi aliorum sensui.

VOL. Amplectamur toto corde Regulam Summ. 42. *Idem sapiamus, idem, quoad ejus fieri possit, dicamus omnes.* & Reg. 28. comm. *Nullusque cum alio contendat. &c.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixerunt ergò ei alii Discipuli: Vidimus Dominum* Joan. 20.

INTEL. En, ut alii Discipuli verbis & rationibus bonis conati sunt membrum illud quodammodo à se avulsum conservare, & sibi iterum aggregare. REFL. Hoc à nobis etiam exigit fraterna charitas: hic est enim Spiritus Dei.

VOL. Dicamus cum Deo. Ezechiel. 34. *Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod contractum fuerit, alligabo; & quod infirmum fuerit, consolidabo;* ad hoc verò faciendum, curemus, ut verba & rationes *modeste & cum charitate afferantur.* &c. Reg. comm. 28.

PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Thomas mansit pertinax dicendo: *nisi videro, &c. non credam.* Joan. 20.

INTEL. Causa hujus pertinaciæ fuit genus quoddam desolationis, & tentationis, cui, ut oportebat, non restitit. Nam oratio ejus tam perturbata indicat, quod Spiritus malus *Sophisticis argumentis quibusdam*, ipsum occupaverit, & quod esset in eo *inquietudo, & agitatio sive tentatio... spem, charitatemque expellens*: prout desolatio describitur Reg. 4. hebd. 1. *disc. spir.* REFL. Hinc discimus, quanta mala oriantur, quando desolationi non satis citò, nec satis fortiter resistitur.

VOL. Studeamus deinceps diligenter, non solum, ut ex Regulis *de discernendis Spiritibus* remedia contra desolationes probè intelligamus; sed etiam ut eadem constanter, & promptè adhibeamus.

COLLOQ. De 2. vexillis. petendo, ut possimus *exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divinâ ope, ad eas vitandas.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO. XVIII.

*De Apparitione septimâ. Joan. 20.
Myst. punct. 2.*

CONG. Christo rediivo congaudere.

PRÆL. I. Quomodo Christus post dies octo, iterum januis clausis, apparuerit, & Thomam de incredulitate admonuerit.

PRÆL. II. Videre cubiculum illud clausum.

PRÆL. III. Petere gratiam, reducendi aberrantes ad suum finem, & ad Vexillum Christi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Post dies octo, iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Joan. 20.*

INTEL. Videamus Thomam, qui antè erat, quasi absconditus, nunc reductum, & consistentem in consilio justorum, & congregatione, Ps. 110. Atque hoc fuit initium ejus felicitatis. REFL. Sic nobis etiam evenit, dum in tentatione absconditi sumus, & fugimus oculos Superiorum, & Directorum nostrorum, facile superamur à malo Spiritus initium verò victoriæ oritur à reditu ad illos, exponendo oculis eorum omnia, quod horret Diabolus.

VOL. Si aliquando tenebras illas quæsi verimus, dicamus: *erravi, sicut ovis, quæ perii. Ps. 118.* & servemus pulcherrimas Regulas de hac materia, quas in instituto nostro habemus.

Cc

PUN.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit Thomæ : *infer digitum tuum huc, & vide. &c. & noli esse incredulus, sed fidelis.* Joann. 20.

INTEL. Consideremus hæc verba Christi, carentia omni acerbitate, & plena mansuetudine. **REFL.** Discamus hinc, quod dum quis alium *videt desolatione affici, seu tentatione, cavere debet, ne se durum, vel austerum illi exhibeat; sed mitem potius ac suavem præstet.* Annot. 7. inter. 20.

VOL. Doleamus, si aliter fecerimus & memores simus Apostoli, qui dicit : *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Gal. 6.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus apprensus statim se convertit ad Thomam, dicens : *infer digitum tuum, &c.*

INTEL. Sic Christus opere confirmavit, id quod docuerat Matth. 18. de quærendâ ove perditâ, etiam relictis nonaginta novem, **REFL.** Talis debet esse zelus noster in convertendis errantibus.

VOL. Excitemus zelum nostrum erga peccatores : *vidi prævaricantes & tabescebam, quia non custodierunt verba oris tui.* Pl. 118.

PUNCTUM IV. QUID. DIVINITAS. MEM. Iterum *venit Jesus januis clausis... deinde dicit Thomæ. &c.*

INTEL. In passione dicebant Judæi Christo : *propheti-*

phetiza, quis est, qui te percussit. Luc. 22. ipse autem *tamquam surdus non audiebat*, quia abscondebatur se divinitas. Nunc autem exierit se divinitas, & ostendit se audivisse omnia, quæ dixerat Thomas. REFL. Si cum Christo hîc absconditi simus, & injurias patiamur, etiam nos manet talis gloria, quando videbimus eum, tunc enim illuminabit tenebras nostras.

VOL. Fortes in Fide, & pleni spe, dicamus cum Apostolo: *videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* 1. Cor. 13.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.

Apparens Christus, antequam alloqueretur Thomam, omnibus *dixit, pax vobis.* Joan. 20.

INTEL. Sic Christus Solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. Matth. 5. Solem, & pluviam consolationis tribuens credulis, & incredulis. REFL. Cogitemus quomodo nos quoque aberrantes à viâ virtutis, nihilominus senserimus aliquos radios divini luminis, quibus invitabamur ad pacem.

VOL. Gratias magnas Deo agamus pro tantâ misericordiâ *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc justificati.* &c. Rom. 5.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam, nos ipsos, deinde alios reducendi in viam.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

CC 2 : MEDI-

MEDITATIO XIX.

De Apparitione septimâ. Joan. 20.

Myſt. punct. 3.

CONG. Nos ipsos ad amorem Christi redivivi excitare.

PRÆL. I. Quomodo Thomas agnoverit Christum, & crediderit.

PRÆL. II. Mente intueri locum illum clausum.

PRÆL. III. Petere gratiam cum Thomâ conjungendi affectus nostros erga Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Christum apparentem Thomæ.

INTEL. Contemplemur quinque vulnera, in quibus haud dubiè aliquid gloriæ emicabat, erantque signa ac testimonia certa & clara, divini amoris & misericordiæ in Thomam, & in omnes homines. REFL. Applicemus etiam illa vulnera, tamquam nostrâ causâ & pro nostrâ redemptione suscepta.

VOL. Provoluti antè Imaginem Crucifixi, dicamus ea, quæ affectus suggeret.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Thomas exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* Joan. 20.

INTEL. Thomas commotus, & quodammodo liquefactus ex aspectu & tactu vulnerum Christi, præ affectus vehementiâ, non potuit nisi illa duo verba proferre: quæ sexcentis studiosè quaesitis verbis

verbis æquivalent, & prævalent. Nam sensus plurimos, & profundissimos continent. REFL. Nos verò verba illa scrutemur, & inueniemus in iis late-re, quidquid in Fundamento, in Hebdomade prima, in Contemplationibus Regni Christi, de 2. vexillis, aliisque meditati sumus.

VOL. Igitur pleni affectibus præcedentium meditationum, exclamemus pariter cum Thomâ: *Domivus meus, & Deus meus!*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Subintulit Christus: *Beati qui non viderant, & crediderunt.* Joan. 20.

INTEL. Ex his verbis ratiocinemur Christum tamquam amantissimum Medicum, ita voluisse sanitatem Thomæ reddere, ut medicina & operatio sua etiam aliis incredulitate laborantibus prodesset. REFL. Concludamus igitur, quod nobis quoque debeat prodesse; Sed discamus simul, quod in vitâ Apostolicâ, bonum universale debeamus præferre particulari, & curare, ut remedia, quæ proximo impendimus, in quamplurimos redundant; hoc S. P. Noster variis modis nobis inculcat.

VOL. Omni studio conemur intelligere, & adhibere modos duos eligendi, ut negotia omnia cum maximo, qui haberi paterit, fructu ordinemus.

COLLOQ. Quibus oremus, ut Deus *dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocumque potius nobis tendendum sit.*

RECOLLECTIO.

CC 3

ME.

MEDITATIO XX.

De Apparitione octavâ. Joan. 21.

Myft. punct. 1.

CONG. Lætari cum Christo redivivo.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparens septem Discipulis piscantibus, effecerit, ut multos pisces caperent.

PRÆL. II. Aspicerem mare, in quo hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere gratiam, ut Christum imitando in laboribus, postea conregnemus cum ipso.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Mane autem facto stetit Jesus in Littore: non tamen agnoverunt Discipuli, quia Jesus est. Joan. 21.*

INTEL. Contemplemur ergo Jesum stantem in tali specie, ut non agnosceretur. REFL. Sic interdum Christus nobis adest: Sed quasi absconditus vultus ejus. Is. 53. assistente nobis presidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur. Reg. 7. hebd. disc. spirit.

VOL. Coram venerabili Eucharistia dicamus. *Tu es Deus absconditus. Isa. 45. adoro te devotè latens Deitas. &c.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum de piscatione loquentem, & dicentem eis: *mitte in dexteram navigii rete. Joan. 21.*

IN-

INTEL. Christus incipit loqui de eorum negotio temporali, ut illos deducat ad piscationem spiritualem. REFL. Sic nos debemus cum proximis incipere loqui de temporalibus, ut ipsi deinde finiant loquendo de spiritualibus: juxta consilium S. P. Nostri.

VOL. Cum Apstolo dicamus: *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Cor. 9.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Discipuli *ascenderunt in navim, & illâ nocte nihil prendiderunt.* Joan. 2.

INTEL. En paupertatem conjunctam cum ejus effectibus, cum vigiliis, cum labore etiam irritato. REFL. Si tales pauperes fuerimus, Christus etiam libenter veniet ad nos.

VOL. Juxta Reg- 24. summ. Lubenter effectus aliquos paupertatis experiamur.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Jactum rete ad Christi mandatum. *jam non valebant illud trahere pro multitudine piscium.* Joan. 21.

INTEL. Divinitas in passione abscondita iterum se nunc prodit tam manifesto miraculo REFL. Necessesse est, ut nos quoque per humilitatem absconditi simus coram hominibus; si velimus postea introire in potentias Domini, & regnare cum ipso.

VOL. Renovemus affectus tertii modi humilitatis, nixi spe regnandi cum Christo.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM.
Iterum consideremus miraculum multitudi-
nis piscium.

INTEL. Ratiocinemur solatium, & gaudium ma-
gnum fuisse Discipulis illis in capturâ piscium, &
prorsus accommodatum illorum opificio. **REFL.**
Sic Deus, ut ex historiis etiam constat, solet in
hac vitâ suos solari etiam temporalibus benefi-
ciis.

VOL. Statuamus semper nobis ob oculos illud
Christi dictum: *Nolite ergo solliciti esse, dicentes:
Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo
operiemur. Scit enim Pater vester, quia his omni-
bus indigetis.* Matth. 6.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam spei inter
labores hujus vitæ, qua expectemus à Deo tum
felicitatem futuræ vitæ, tum præsentis solatium,
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO. XXI.

De Apparitione octavâ. Joan. 24.
Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium cognoscendi magis, & aman-
di Christum.

PRÆL. I. Quomodo Christus agnitus fuerit, &
quomodo Petrus desiliens in mare ad ipsum ac-
cesserit.

PRÆL.

PRÆL. II. Locum speculari non procul à littore,
ubi hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere gratiam agnoscendi Christum,
& ad eum accedendi,

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Respiciamus sin-
gulos Discipulos, qui erant in Navi, Petrum sci-
licet, & Joannem, & Thomam, & Jacobum fra-
trem Joannis, & Nathanaëlem, cum aliis duobus.

INTEL. Notemus Joannem, qui Virgo erat, fuis-
se interiùs illuminatum, & statim agnovisse Chri-
stum. REFL. Sic nos facile Christum agnoscemus,
si castitatem, & munditiem cordis benè servave-
rimus. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vi-
debunt.* Matth. 5.

VOL. Gratias agamus Deo pro singulari benefi-
cio, quo nos evocavit è sordibus mundanis: &
renovemus votum castitatis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dixit ergò Discipu-
lus ille, quem diligebat Jesus: Dominus est.*
Joan. 21.

INTEL. Joannes non contentus interiori suâ co-
gnitione, statim conatus est alios etiam illumina-
re, dicendo? *Dominus est.* REFL. Sic nos Christum
annuntiando, *operemur bonum ad omnes, maxi-
mè autem ad domesticos fidei.* Gal. 6.

VOL. Studeamus non tantùm externos; sed vel
maximè nostros colloquiis nostris ad virtutis, &
Christi agnitionem adducere.

PUNCTUM III. OPERA MEM. *Simon Petrus, cum
P*audisset, quia Dominus est. . . misit se in ma-
re. Joan. 21.

INTEL. Consideremus zelum Petri, qui nunc
proximè vult sequi Christum, nec terretur mari,
postquam antea fuisset illum secutus à longe.

REFL. Applicemus hoc ad primum tempus Ele-
ctionis, *quando voluntatem Divina virtus sic
impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitan-
di facultas anima sublata sit, quò minus sequa-
tur impulsionem talem.*

VOL. Anhelemus ad ejusmodi impulsionem, ita
tamèn, ut ordinariè per secundum, & tertium
electionis, tempus procedamus, prout in libro
Exercitiorum, & in Directorio explicatum est.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam Sanctæ il-
luminacionis, & piæ affectionis ad proximè acce-
dendum ad Christum. **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO XXII.

De Apparitione octavâ. Joann. 21.

Myft. punct. 3.

CONG. Excitare nos ad Christi sequelam, ad
cognoscendum illum, & virtutem resurrectio-
nis ejus. Philip. 3.

PRÆL. I. Quomodo Christus prandium dede-
rit Discipulis; & quomodo ovile suum commen-
daverit Petro.

PRÆL.

PRÆL. II. Aspicere locum in littore, ubi hæc fiebant.

PRÆL. III. Desiderium fruendi aliquando Christo, & petere gratiam id firmiter sperandi.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Discipulos, *ut... descenderunt in terram*, Christo præsentibus.

INTEL. Consideremus interiorem illorum erga Christum reverentiam; nam quamvis ex miraculo piscium, & ex testimonio Joannis, potius eum cognoscerent, quàm ex aspectu, præ reverentia tamen *nemo audebat... interrogare eum: Tu quis es? Scientes, quia Dominus est.* Joan. 21.

REFL. Talem interiorem reverentiam nos quoque habere debemus coram Deo ubique præsentem; nominatim coram Christo in venerabili Eucharistiâ.

VOL. Renovet affectus *Fundamenti*, ubi meditabamur, quomodo Deum Dominum nostrum debeamus revereri.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Dicit eis Jesus: venite, prandete.* Joan. 21.

INTEL. Perpendamus, quàm amabilis fuerit illa vox istis Piscatoribus. REFL. Si nos verè servemus votum paupertatis, possumus meritò etiam nobis persuadere, quod Christus nobis dicat: *venite, prandete.* Nam ipse *dispersit, dedit pauperibus.* Ps. III.

VOL. Renovemus votum paupertatis, statuamusque extrà refectioem, sine bonâ superiorum veniâ, nil gustare; tunc meliùs refectio sapiet à Christo data pauperibus.

PUN.

PUNCTUM II. OPERA. MEM. *Dicit eis Jesus: affer-
te de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit
Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum
magnis piscibus. Joan. 21.*

INTEL. Christus mandaverat, & dixerat omni-
bus: Petrus verò pro suo fervore, præ aliis man-
datum exequitur **REFL.** Sic nos celores debemus
esse in obedientiâ.

VOL. Renovemus votum obedientiæ, & juxta
Reg. Summ. 35 *Obediamus cum magnâ celerita-
te spirituali gaudio, & perseverantiâ.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. *Et venit
Jesus, & accepit panem, & dat eis, & piscem
similiter ... & cum prandissent commisit Petro
agnos, & oves suas, hoc est Ecclesiam.*

INTEL. Prandium hoc conjunctum est cum mul-
tis miraculis, cum exercitio magnæ potestatis,
cum mirabili omnium solatio. **REFL.** Converta-
mus nostram mentem ad refectioem Cœlestem,
ubi Christus *faciet illos discumbere, & transiens
ministrabit illis. Luc. 12.*

VOL. Anhelemus ad illam Cœlestem refectio-
nem, & spe certâ istius æternæ cœnæ consolemur
exilium nostrum.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. *Re-
colamus seriem hujus apparitionis.*

INTEL. Ratiocinemur, non potuisse ab amicis-
simo quoque præstari genus consolationis magis
accom-

accommodatum Discipulis illis. Christus juvat illos in piscando, pascit piscibus tamquam pisca-
tores: & in omnibus sese quasi demittit ad pauper
eorum opificium. REFL. Sic Christus consolabitur
labores, vigilias, opprobria, paupertatem, & om-
nia nostra incommoda pro ipso suscepta.

VOL. Hac certâ fiduciâ futuræ, & præsentis con-
solationis animati, cum magno amore erga Do-
minum, & Regem tam amabilem, confirmemus
nos in tertio humilitatis modo.

COLLOQ. Huic tertio modo humilitatis sint
conformia; sed plena charitate purâ & desiderio
fruendi Christo in æternum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXIII.

De Apparitione nonâ. Matt. 28.

Myst. punct. 1.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli, ex Christi
mandato, iverint ad montem Thabor.

PRÆL. II. Videre iter ad montem illum.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum bono mo-
do, quærendi & inveniendi redivivum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Di-
scipulos abeuntes *in Galileam, in montem,*
ubi constituerat illis Jesus. Matth. 28.

INTEL. Jam aliquibus plusquam semel apparue-
rat

rat Christus: Notandum tamen in illis est desiderium videndi iterum Christum, propter quod iter illud suscipiunt. REFL. Discamus hinc quod Cœlestes voluptates numquam satietatem afferunt, sicut temporales, quæ sæpè tædio sunt, cum habentur. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5. Sed saturitas hæc non parit tædium; sed desiderium auget.

VOL. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Pl. 41. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Pl. 79.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamtis colloquia Discipulorum in viâ.

INTEL. Haud dubiè commemorabant verba, quæ dixerat Christus post ultimam cœnam: *postquam resurrexero, precedam vos in Galileam.* Marc. 14. & illa, quæ Angelus dixerat Mulieribus, *quia precedit vos in Galileam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Marc. 16. REFL. Si velimus nos quoque Christum videre, necesse est verba ipsius evangelica, tum nobiscum, tum cum aliis sæpe revolvere.

VOL. Fugiamus colloquia otiosa. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Pl. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* ibid.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Discipuli abierunt in Galileam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Matth. 28.

INTEL. Ratiocinemur eos debuisse ire, ut viderent

rent & invenirent Christum, non in montem quemvis pro arbitrio suo; sed in eum, quem *constituerat illis Jesus*. REFL. Sic nos non inveniemus Christum, in loco, quem pro nostro libitu elegimus; sed in illo, quem per superiores nostros constituit nobis Jesus.

VOL. Protestemur nos esse milites sub vexillo Christi ducis nostri, cujus proinde mandata de loco, & habitatione, quæ per obedientiam dat, deinceps diligenter exequamur, ut ipsum inveniamus.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam & magnos animos ad vitam agendam juxtà Reg. summ. 3. *in quavis mundi plagâ*, quam obedientia constituet.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIV.

De Apparitione nonâ. Matth. 28.

Myst. punct. 2.

CONG. Lætari in Mysteriis Resurrectionis Christi.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit illis in constituto monte, & illis exposuerit omnem suam potestatem.

PRÆL. II. Aspicere montem illum in Galilæâ.

PRÆL. III. Petere gratiam sequendi Christum, & non timendi sub protectione tam potentis Ducis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus discipulos illos in Galilæa ascendentes in montem.

INTEL, Consideremus in ipsis innocentiam manuum,

num, & munditiem cordis: juxtà illud Ps. 23. *quis ascendet in montem Domini? . . . innocens manibus, & mundo corde.* REFL. Excutiamus hîc conscientiam nostram, & munditiem cordis.

VOL. Statuamus benè mundare corda nostra, per pœnitentiam interiorem, & exteriorem, ut cum Apostolis possimus ascendere in montem Domini.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Discipulos illos loquentes, & aspirantes ad futuram Christi apparitionem.

INTEL. Hæc aut similia ad Christum dicebant: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum.* Ps. 42. REFL. Nos quoque similia convenit dicere, quando ascendimus ad Altare, ut Christum videamus velatum speciebus panis, & vini.

VOL. In introitu illo ad Altare suspirabimus ad Christum, & cum ingenti desiderio dicemus: *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.* Ps. 42. Nam revera, quamvis velatus illis speciebus, est *salutare vultus mei*

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Christus illis apparens dixit: *data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terrâ.* Matth. 28.

INTEL. Singula verba expendamus, Nullus Rex habet potestatem omnem in terrâ, multò minus in Cælo. Causam quoque, ob quam data est, consideremus. Nimirum Christus *humiliavit semetipsum, factus obediens. &c. propter quod, & Deus exal.*

exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip 2. REFL. Discamus hinc, quod paupertas, abjectio sui, & humilitas non tantum omnes virtutes; sed etiam omnem exaltationem introducant.

VOL. Conjugamus nos intimè cum Christo per tertium gradum humilitatis.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus prædixerat. Marc. 14. *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*

INTEL. Perpendamus, quantum differat transitus è Judæâ in Galilæam, qui fit post resurrectionem, ab eo, qui fiebat antea. Ante occultabat se divinitas, & sic eundo laborabat, & fatigabatur, sicut alii homines: Post resurrectionem verò ornatus dote immortalitatis, & agilitatis, sine labore, sine illâ temporis morâ, transfert se, quò vult. REFL. Nos quoque sperare debemus quatuor illas corporis gloriosi dotes, Immortalitatem, Agilitatem, Penetrabilitatem, Claritatem.

VOL. Cum intimi animi sensu dicamus illud Apostoli. 2. Cor. 4. *Quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

PUNCTUM IV. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Revocemus in memoriam, quod Christo data sit *omnis potestas in Cælo, & in Terrâ.*

INTEL. Ratiocinemur, magnos animos addi militibus, quando sciunt in suo Duce magnam inesse

D d

vir-

virtutem, magnam potestatem. REFL. Sic nobis debet adferre summum solatium, quod in Christo Rege nostro insit *omnis potestas in Cælo, & in Terrâ.*

VOL. Per hanc fidem, & fiduciam pellamus omnem timorem hostium visibilium, & invisibilium: *vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere.* Matth. 10.

COLLOQ. Quibus petamus magnam fiduciam in sequendo Christo, pulso, & superato omni timore sub Duce tam potente, tam bono.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXV.

De Apparitione nonâ. Matth. 28.
Myst. punct. 3.

CONG. Ut solet.

PRÆL. I. Quomodo Christus miserit Discipulos illos ad prædicandum, & baptizandum per totum Orbem.

PRÆL. II. Intueri montem, & inde oculos mentis circumferre per totum Orbem.

PRÆL. III. Petere Spiritum Apostolicum ad prædicandum Christum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum apparentem in monte Discipulis suis.

INTEL. Consideremus ipsum speciosum formâ præ filiis hominum, tamquam optimum illorum

Im.

Imperatorem; tamquam Regem, cui omnes ubiq; obedire debent; tamquam Dominum, inter subditos suos; tamquam ducem, inter milites; tamquam Magistrum, inter Discipulos. REFL. Juvabit ex adverso intueri ducem impiorum inter suos in campo Babylonico.

VOL. Detestando hostes illos nostros apitalissimos, totos nos effundamus in actus charitatis, reverentiæ, & laudis erga optimum Imperatorem nostrum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus, quid Christus loquatur suis illis Discipulis, ministris, & militibus.

INTEL. Docet illos, ut primùm se ipsos, deinde alios inducant ad spiritualem primò affectum paupertatis, & insuper (si Divini obsequii ratio eò ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem; tum ad opprobrii, contemptusque desiderium alliciant; unde humilitatis virtus enascitur. REFL. Cogitemus per ipsos nobis omnia ista quoque dici.

VOL. Renovemus affectus in Meditat. *De 2. vexillis* conceptos, erga tres illos perfectionis gradus.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Videamus quid Christus fieri velit ab illis suis Discipulis sic instructis.

INTEL. Primò vult illos ire ad omnes gentes, & mittit per Orbem. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Matth. 28. Secundò *Baptizantes eos in nomine Patris.* &c. *ibid.* quia baptismus, & professio

SS. Trinitatis est quasi Balteus, & signum militiae Christianae. Tertio, *Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*, Ibid. Hoc est, omnia, quae mandavi in Evangelio, quae facile servabuntur, si ad tres illos perfectionis gradus supradictos pervenerimus, & alios induxerimus. REFL. Meminerimus haec tria vel maximè pertinere ad viros Apostolicos Societatis nostrae.

VOL. Hic locus est, amandi super omnia Christum tam amabilem, qui etiam redivivus dignatus est suos confirmare in vita evangelicâ: complectamur proinde Magistrum nostrum illum divinum arctissimè per tertium modum humilitatis.

COLLOQ. Conformia. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVI.

De Apparitione decimâ. 1. Cor. 15.

Myst. punctum unicum.

CONG. De more.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit plusquam quingentis simul.

PRÆL. II. Aspicerere locum hujus apparitionis.

PRÆL. III. Petere gratiam, resurrectionem Christi bene omnibus annuntiandi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. 1. Cor. 15.*

INTEL. Videamus vocationem eorum, *quia non mul.*

multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stultæ sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia mundi, elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.

I. COR. I. REFL. Hinc discimus, quantum humilitas Christi præferenda sit stultæ vanitati mundi.

VOL. Conjugamus nos Christo per tertium modum humilitatis.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus, quid Christus illis apparens locutus sit.

INTEL. Locutus est eis *Sapientiam... non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur: Sed... Dei sapientiam in Mystero... quam nemo Principum hujus sæculi cognovit* I. COR. 2. tunc verbo, & opere dicebat: *ego sum resurrectio, & vita.* &c. JOAN. I I. REFL. Ratiocinemur nos non fore sanæ mentis, si præ Christo mundanos homines sequamur: nam *gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* PHILIP. 3.

VOL. Dicamus cum Apostolo ibidem: *Salvatores expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, & studeamus ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum ipsius.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Cogitemus quid post apparitionem illam egerint illi plusquam quingenti fratres.

INTEL. Non fuerunt otiosi, sed sicut Paulus *Jesus, & resurrectionem annuntiabat eis Act. 17.* & sicut *virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. Act. 4.* Sic & illi faciebant, ideo Paulus de illis dicit: *Muli manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. 1. Cor. 15, REFL.* Sic oportet nos quoq; ubique annuntiare Christum, & hunc Crucifixum, & in resurrectione gloriosum.

VOL. Optemus in hoc munere Apostolico pro Christo opprobria, & contumeliam pati: *Si sustinebimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2.*

COLLOQ. Quibus petimus gratiam sustinendi, & conregnandi cum Christo.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM,

MEDITATIO XXVII.

De Apparitione undecimâ. 1. Cor. 15.
Myst punct. unicum.

CONG. Exhilarascere cum Christo redivivo.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit Jacobo.

PRÆL. II. Imaginari sibi locum apparitionis.

PRÆL. III. Petere gratiam abnegandi seipsum, ut laborum Christi, ac deinde resurrectionis eius participes fiamus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Consideremus personam S. Jacobi, cui Christus apparuit.

INTEL. Is fuit frater Domini cognomento *Justus*. **REFL.** *Justitia nobis necessaria est, si velimus videre Christum. Justitia autem omnis introducit per tres illos gradus perfectionis, de quibus in Medit. de 2. vexillis.*

VOL. *Domine deduc me in justitiam tuam.* Ps. 5. idque per viam paupertatis, contemptus, & humilitatis : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Matth. 3. Sicut Christus dicebat, cum sicut peccator baptizaretur.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Cogitemus quid S. Jacobus merito dicere potuit coram Deo.

INTEL. Conveniunt illi verba illa. Ps. 34. *humiliabam in jejunio animam meam.* Nam in officio ejus i. Maii sic legitur : *ab ineunte aetate vinum & siceram non bibit, carne abstinuit.* **REFL.** Hinc discamus jejunium & temperantiam conducere multum ad humilitatem.

VOL. Amemus Additionem 10. hebd. 1. de poenitentia, etiam in victu : & Regulas de victu temperando. *Carnis terat Superbiam, potus, cibi-que parcitas :* canit Ecclesia.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Legitur de eo praeterea, quod *numquam tonsus est, nec unguento, nec balneo usus.*

INTEL. Perpendamus quam procul abfuerit ab affectio-

affectione erga propria comoda. REFL. Applicemus hęc verba S. P. Nostri in fine hebd. 2. *Hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & comodi proprii affectione se abstraxerit.*

VOL. Aurea ista verba altè cordi imprimamus, ut *justi* fiamus sicut S. Jacobus,

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus deinde visus est Jacobo. 1. Cor. 15.

INTEL. Ex præcedentibus Punctis concludere possumus, quod Christus virtutem & miracula resurrectionis suæ ostenderit, non mundanis & aulicis; sed pauperibus, abjectis & humilibus. *Qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.* Matth. 11. REFL. Paupertatis, & abjectionis effectus nos quoque experiri oportet, ut abscondita Mysterii resurrectionis contemplemur.

VOL. Excitemus fidem & spem non tantum contemplandi; sed etiam postea videndi *Sapientiam in Mysterio, qua abscondita est.* 1. Cor. 2. Mundanis scilicet & amatoribus sui, quibus numquam revelabitur illud Mysterium.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Intueamur Jacobum cum Christo sibi apparente,

INTEL. Perpendamus quomodo Christus deserit suâ apparitione, quidquid in asperiori illa Jacobi vitâ durum apparet. REFL. Sic Christus consolatur suos etiam in hac vitâ.

VOL.

Vol. Dicamus cum Job cap. 6. Hac mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. & cum Apostolo Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus. quia Deus consolatur nos in omni tribulatione nostrâ. 2. Cor. 1.

COLLOQ. Quibus petamus intelligentiam & exercitium istius, quod dicit Apostolus Col. 3. Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. Mortificate ergo membra vestra, qua sunt super terram.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVIII.

De Apparitione duodecima.

Myst. punct. unicum

CONG. Ordinaria.

PRÆL. I. Quomodo Christus juxta quædam Hagiographa apparuerit Josepho ab Arimathæa.

PRÆL. II. Constituere sibi locum apparitionis.

PRÆL. III. Petere gratiam per paupertatem omnia Christo offerendi, ut in ipso divites fiamus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus qualis Vir fuerit Josephus ab Arimathæa.

INTEL. Fuit *Discipulus Jesu occultus propter metum Judaorum.* Joan. 19. Antè mortem scilicet Christi; sed postea non erubuit Evangelium; sed *audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus*

Dd 5

Jesu

Jesu. Marc. 15. REFL. Sic nos quoque debemus ex morte, & passione Christi animos sumere, & non erubescere Evangelium.

VOL. Passio Christi conforta me &c. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Ps. 118.

PUNCTUM III. VERBA. MEM. Cogitemus quælia verisimile est Christum Josepho dixisse.

INTEL. Sive Muliere, quæ unguentum effudit super caput ipsius, dixerit: *opus enim bonum operata est in me... ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. haud dubiè non minora dixit Josepho, qui ad sepeliendum tot obsequia præstitit. **REFL.** Sic Christus omnibus, qui assistunt ejus Passioni, dicit: *vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum.* Luc. 22. Talia Josepho dicta quoque fuisse credibile est.

VOL. Constantè sequamur Christum usque ad sepulturam, ut resurrectionis participes esse possimus, & consolationis, quam accepit Josephus.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Josephus posuit corpus Christi, *in monumento suo novo, quod exciderat in petrâ.* Matth. 27.

INTEL. Josephus spoliatur se quodammodo possessione sui monumenti, Christo illud cedens: Christus, illum donat suo aspectu post resurrectionem, respectu cujus omnis possessio quasi nihil est. **REFL.** *Sic omnis, qui reliquerit domum, &c. Centuplum*

duplum accipiet, & vitam æternam possidebit.
Matth. 19.

VOL. Gratias agamus Deo pro vocatione ad paupertatem; *expectantes beatam spem & adventum gloriæ Magni Dei, Salvatoris nostri Jesu Christi.* Tim. 2.

COLLOQ. Quibus petatur hæc spes.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXIX.

De Apparitione decima tertiâ, 1. Cor. 15.

Myst. punct. 1.

CONG. Sicut supra dictum est.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit B. Paulo.

PRÆL. II. Videre locum prope Damascum.

PRÆL. III. Petere gratiam, benè intelligendi voces & inspirationes Christi, eisque obediendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Paulum Jerosolymis iter Damascum facientem.

INTEL. Erat *spirans minarum, & cadis in Discipulos Domini.* Act. 9. tamquam Lupus rapax. ut verè dixerit Christus: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. REFL. Sic vivimus in medio hostium & Dæmonum, quos Dux impiorum mittit per totum Orbem ad nocendum.

VOL. In medio tot hostium, sequemur consilium Christi, *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columba.* Matth. 10. Non resistendum cum violentiâ, sed humilitate, & prudentiâ in Christo.

PUN-

PUNCTUM II. OPERA. MEM. Christus dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris? . . . durum est tibi contra stimulum calcitrare. Act. 9.*

INTEL. Multum diversæ sunt hæ voces, ab illis, quibus Christus usus est in aliis apparitionibus, *Avete. Pax vobis. &c.* REFL. *Cujus sanè diversitatis ratio est, quatenus Angelo utrilibet similis vel dissimilis est anima ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit; cum strepitu & pulsu, qui facile adverti queat, ei se conjungit.*

VOL. Nos meritò sæpè sic duriter reprehensi, respondeamus cum Saulo. *Domine, quid me vis facere? Act. 9.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Subitò circumfulsit eum lux de Cælo, & cadens in terram, audivit vocem. &c. Act. 9.*

INTEL. Sic Deus prostravit Saulum, ut mutaretur in Paulum, & ex lupo in agnum. Sic Dominus *humiliat, & sublevat.* 1. Reg. 2. REFL. Debemus itaque in humiliatione & tribulatione nostrâ agnoscere manum Domini humiliantem, & ab eadem manu expectare sublevationem.

VOL. O! Domine: *bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Pl. 118.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Intueamur Paulum profligatum, apertisque oculis nihil videntem.

INTEL. Sic Divinitas in passione abscondita, sese hîc

hic tot miraculis ostentat: *deposuit potentes de sede.* Luc. 1. REFL. Sic post mortem omnis potentia humana destruetur veluti *Principium hujus sæculi, qui destruuntur.* 1. Cor. 2.

VOL. Nos aspiremus potiùs ad potentiam cœlestem, ad *hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem.* 1. Pet. 1.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Christus de Paulo dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum, coram gentibus, & Regibus, & Filiis Israël. Ego autem ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9.

INTEL. Ratiocinemur hoc testimonium Christi, Paulo attulisse consolationem, quæ exuperat omnem sensum. Hinc postea dicebat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ.* 2. Cor. 7. REFL. Tanta consolatio est in tertio gradu humilitatis.

VOL. Christo nos totos, per actum puræ charitatis jungamus, in tertio modo humilitatis.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis. RECOLL.

MEDITATIO XXX.

De Apparitione decimâ tertiâ. 1. Cor. 15.

Myst. punct. 2.

CONG. Ut dictum sæpius.

PRÆL. I. Quomodo Christus apparuerit Patribus in limbo quoad animam, & postquam inde educi sunt.

PRÆL.

PRÆL. Aspicere Patres in Limbo.

PRÆL. III. Petere desiderium videndi Christum in gloriâ

PUNCTUM I. PERSONÆ MEM. Mente nostrâ descendamus ad Limbum; in quo Patres illi hærebant aliqui millenis, & pluribus annis.

INTEL. Patres illi mortui fuerant in gratiâ, & in justitiâ: consideremus proinde in ipsis fructus Spiritus Sancti; nominatim fructus *patientia*, & *longanimitatis*, quâ tot sæculorum exilium sustinuerunt. REFL. Nos debemus duas illas virtutes imitari. Si enim *mille anni antè oculos Dei, tamquam dies hesternâ, quæ præterit*. Ps. 79. Quid est brevis vita nostrâ?

VOL. Igitur hoc agamus; ut ambulemus *digne Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientiâ Dei, & in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientiâ & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo*. Coloss. 1.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Patrum illorum desideria, & suspiria ad Christum.

INTEL. Continuo resonabant hujusmodi suspiria: *Rorate Cæli desuper, & nubes pluant justum; &c.* Isa. 45. REFL. Sic in hoc exilio nos quoque debemus anhelare ad Christum, redemptorem nostrum.

VOL. Dicamus cum Paulo Phil. 1. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. multò magis melius, & ad Rom. 7. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? & Ps. 41. Quando veniam, & apparebo antè faciem Dei?*

PUN:

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Anima Christi separata à corpore, mox *descendit ad inferos*, & apparuit illis Patribus, eos liberans.

INTEL. Tunc factum est illis, quod dicitur Apoc. 7. & *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Simul atque enim viderunt animam, ac deinde etiam Corpus Christi gloriosum, mox omnium præteritorum fuerunt obliti. **REFL.** Sic etiam fiet nobis, si juxta tertium humilitatis modum, pro Christo passi fuerimus.

VOL. Nos radicati in illo tertio humilitatis modo, dicamus cum magno affectu: *id enim, quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis, &c. 2. Cor. 5.

COLLOQ. Conformia.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXXI.

*De Apparitione decima tertiâ, 1. Cor. 15.
Myst. punct. 3.*

CONG. Manet eadem.

PRÆL. I. Quomodo Christus redivivus passim Discipulis apparuerit, & cum eis versatus sit.

PRÆL.

PRÆL. II. Videre Judæam & Galilæam, ubi hæc contigerunt.

PRÆL. III. Petere gratiam, dignè cum Christo conversandi in terrâ, & postea ipso fruendi in cœlo.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Inspiciamus personas omnes quibus Christus apparuit.

INTEL. Comparemus illas, cum cæteris hominibus per totum Orbem Terrarum dispersis: consideremus interiorem divinum spiritum, qui erat in Maria Matre Jesu; & in Discipulis, prorsus diversum à spiritu mundano aliorum hominum.

REFL. Hoc est, quod didicimus in meditatione de 2. vexillis, nempe Maria Mater, Discipuli alii Jesu, erant sub vexillo Christi; alii passim sub vexillo ducis impiorum.

VOL. Adhorreamus à spiritu illo malo ducis impiorum & ambulemus Spiritu Christi.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus hinc Christum redivivum loquentem cum suis, inde verò sermones hominum mundanorum.

INTEL. Mundus plenus est sermonibus vanis de divitiis, honoribus, &c. Christus verò per dies quadraginta erat *loquens de Regno Dei*. Act. 1.

REFL. Examinemus colloquia nostra.

VOL. Nos contraria loquamur illis, quæ mundus amat & amplectitur, nempe sermones nostri sint de paupertate, de opprobriis pro Christo, de humilitate: hæc enim ducunt ad Regnum Dei.

PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus Discipulis
præbuit seipsum vivum post passionem suam ...
per dies quadraginta apparens eis. Act. 1.

INTEL. Nimirum id temporis illos instruxit de
 negotiis Ecclesiæ suæ, quomodo deberet propa-
 gari; quomodo deberent, accepto Spiritu Sancto
 ire per totum Orbem, &c. denique inculcavit illis
 omnia, quæ in Evangelio sunt. **REFL.** Hinc conclu-
 damus, qualia debeant esse opera nostra: Non e-
 nim negotium nostrum est, cumulare divitias, ho-
 nores ambire, &c. Sed sequi Christum dicentem:
Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.
 Matth 11.

VOL. Toti sumus in hisce operibus humilitatis
 Christi: & renovemus affectus conceptos de hoc
 in superioribus meditationibus.

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. Christus
præbuit se ipsum vivum post passionem su-
am in multis argumentis. Act. 1.

INTEL. Si recolamus mente apparitiones, de qui-
 bus hætenus meditati sumus, cognoscemus, quod
 identidem ostenderit, & prodiderit quatuor do-
 tes corporis gloriosi; scilicet Immortalitatem,
 Claritatem, Agilitatem, & subtilitatem: idque
 variis modis: ita ut fuerit, quasi *Ludens in orbe*
terrarum. Prov. 8. in tot diversis figuris apparens,
 modò his, modò illis. **REFL.** Nos etiam manent
 quatuor illæ gloriosæ dotes, si Christum benè se-
 quamur.

VOL. Convertamus nos ad Christum, & toto affe-
 ctu dicamus: *Inclinavi cor meum ad faciendas*

Ee

justi-

justificationes tuas in aeternum, propter retributionem. Ps. 118. Participes erimus victoria, & felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socii extiterimus.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. Meminerimus tempore illorum quadraginta dierum non defuisse persecutiones; ita ut propter metum *Judaorum* debuerint Discipuli se occultare.

INTEL. Perpendamus verò quomodo Christus illos consolatus sit. Nam si ipse de se testetur: *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Prov. 8. Vicissim deliciae hominum sunt, esse cum Christo. **REFL.** Sed notandum nobis est, quod non omnes homines sint tales, cum quibus esse cum Christo sunt deliciae, & examinandum, an simus ex illis, quibus Christus etiam ad delicias se communicare velit.

VOL. Reddamus nos similes miti & humili Christo, tunc nulla adversa timebimus, & dicere poterimus: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae latificaverunt animam meam.* Ps. 93.

COLLOQ. Quibus petamus constantiam & fortitudinem in tribulationibus pro Christo.

RECOLLECTIO.

MEDI-

MEDITATIO XXXII.

*De Ascensione Christi. Act. 1.**Myst. punct. 1.***C**ONG. Desiderium mente cum Christo in Cœlis habitandi.

PRÆL. I. Quomodo Christus post 40. dierum apparitiones miserit Discipulos Hierosolymam, ut promissum Spiritum S. ibi expectarent.

PRÆL. II. Videre Civitatem Jerusalem, ubi Discipuli debebant expectare.

PRÆL. III. Petere gratiam præparandi nos bene ad adventum Spiritus Sancti.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Videamus Discipulos cum Christo convalescentes.

INTEL. Consideremus illos ab optimo Magistro diligenter instructos de vitâ spirituali, de paupertate, humilitate, &c. Nondum tamen satis instructos donis & fructibus Spiritus Sancti. REFL. Sic nobis quoque accidit: post multas instructiones, & meditationes, manemus in primâ vel secundâ hominum classe, nec ad tertiam ascendimus; quia non satis imploramus virtutem Spiritus Sancti.

VOL. Excitemus ferventia desideria accipiendi Spiritum S. nobis tam necessarium; O! Deus *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum Sanctum tuum de altissimis; & correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris. Sap. 9.*

Ee 2

PUN-

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Discipuli interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel? dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiriti Sanctus, &c. Act. 1.

INTEL. Reprehendit Christus sermonem de restitutione Regni terreni Israel; & vertit illum statim in sermonem coelestem de Spiritu Sancto. REFL. Sic oportet nos agere cum illis, qui loquuntur mundana & vana: Nam in mundo vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Ps. 11.

VOL. Nos igitur profiteamur cum Paulo 1. Cor. 2. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius saeculi, neque Principum huius saeculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in Mystério.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus Praecipit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, &c. Act. 1.

INTEL. Antequam Apostoli per Orbem dispergerentur, debuerunt Ierosolymis, hoc est in Civitate pacis & quietis se continere, ut acciperent Spiritum bonum. REFL. Hinc patet quam necessariū sit Viris Apostolicis recessus exercitiorum spiritualium, ut à Spiritu Sancto confirmentur ad Apostolica munia benè obeunda.

VOL. Cogitemus, nobis esse dictum: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

stri. Isa. 40. Parabimus igitur in recessu Exercitiorum viam Domini, dirigemus semitas ejus, sic deinde evadent *Speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.* Rom. 10.

COLLOQ. Quibus petamus dona, & fructus Spiritus Sancti, ad munus Apostolicum bene ob- eundum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XXXIII.

De Ascensione Christi. Act. 1.

Myft. punct. 2.

CONG. Sicut in præcedentibus.

PRÆL. I. Quomodo Christus eduxerit Discipulos in montem Oliveti, & ascenderit in Cœlum.

PRÆL. II. Aspiciere montem illum.

PRÆL. III. Petere gratiam mente sequendi Christum ascendentem in Cœlum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus personas in monte Oliveti, & reliquos homines per orbem dispersos.

INTEL. Ad theatrum illud montis Oliveti, in quo debebat repræsentari pulcherrimum spectaculum, quod unquam visum fuit, non vocavit Christus Romanos, aliosque Reges, aut Sapientes hujus mundi; sed pauperes, humiles, & vulgò despectos. REFL. Nos quoque necesse est à studiis mundanis alienos paupertati & humilitati studere, si velimus frui jucundissimo illo spectaculo.

VOL. Premamus igitur vestigia Christi, & non mundi: & cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Colof. 3.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audire Christum loquentem ad Discipulos.

INTEL. Credibile est Christum illis dixisse, sicut dixerat Mariæ Magdalenæ: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Joan. 20. REFL. Notemus quomodo qui abnegantes se, Christi Crucem bajulant, fiant fratres ejus, & filii Dei. *Quotquot autem receperunt illum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Joan. 1.

VOL. Concipiamus filialem amorem erga Deum. *Si autem filii & heredes, heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus ultimâ vice apparuit in monte Oliveti. Nam Ascensione factâ, Discipuli *reversi sunt Jerosolymam à monte, qui vocatur Oliveti.* Act. 1.

INTEL. Nimirum in loco, ubi quodammodo incepit ejus passio, ibidem voluit ostendere, quod *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. REFL. Hoc est, quod Christus Rex nobis etiam inculcat: *Quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.*

VOL. Renovemus affectus contemplationis *Regni Christi.*

PUNCTUM IV. QUID DIVINITAS. MEM. *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1.*

INTEL. Contemplemur devictâ morte triumphum illum. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tuba. Ps. 46.* Sic divinitas in Passione abscondita se manifestavit. **REFL.** Nos verò decet applaudere Christo ascendenti, & facere, quod in eodem Psalmo subjungitur: *Pfallite Deo nostro, Pfallite: Pfallite Regi nostro, Pfallite. Quoniam Rex omnis terra Deus.*

VOL. Gratulemur Christo, gratias ei agamus, qui est elevatus in Cælum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes: ut canit Ecclesia, interea abnegantes impietatem & secularia desideria; sobrie, & juste & piè vivamus in hoc saeculo: expectantes beatam spem, & adventum gloriae magnae Dei, Salvatoris nostri Jesu Christi. Tit. 2.

PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA. MEM. *Ee nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1.*

INTEL. Per nubem illam quasi tot apparitionū scena clausa fuit: sed cogitemus quanta consolatio remanserit in Discipulorum cordibus, scientium se habere amantissimum suum Regem in Cœlo: Hinc Joannes, qui interfuerat, scribebat: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, Justum.* 1. Joan. 2. **REFL.** Hæc consolatio communis est nobis omnibus in hac vitâ, si per tertium modum humilitatis sequamur Christi vestigia.

VOL. Stabiliamus nos in illo modo, *Fortes in Fide* 1. Petri, 5. *In spe gloria filiorum Dei*. Rom. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*. Rom. 6.

COLLOQ. De tribus modis humilitatis.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXIV.

De Ascensione Christi. Actor. 3.

Myft. punct. 3.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. Quomodo apparuerint duo Viri in vestibus albis, & locuti fuerint Discipulis, aspicientibus Christum ascendentem.

PRÆL. II. Intueri montem Oliveti.

PRÆL. III. Petere Fidem, Spem, & Charitatem erga Christum in Cœlos exaltatum.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Ecce duo Viri astiterunt juxta illos in vestibus albis*. Act. 1. hos Angelos fuisse credimus.

INTEL. In Discipulis consideremus ingens desiderium sequendi Christum: in Angelis studium illos consolandi; sicut in eodem monte consolati fuerant Christum in agoniâ existentem. REFL. Si nos quoque interius desiderium habuerimus Christo adhærendi, non deerunt officio suo Angeli, quibus Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, Psal, 90.

VOL.

Vol. Oremus cum Ecclesiâ, *ut qui Redemptorem nostrum ad Cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in Cælestibus habitemus*; & tunc magnam fiduciam in Angelis concipiamus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Angeli *Dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet, &c. Act. 1.*

INTEL. Angeli non Præsentia suâ tantum; Sed etiam salutari voce Discipulos consolantur & dirigunt: inspirando illis memoriam redituri Domini. **REFL.** Sic Angeli nobis sæpe inspirant memoriam venturi Domini tum ad particulare, tum ad universale iudicium.

Vol. Statuamus juxta posteriorem modum eligendi, Angelicæ isti inspirationi aures præbere, & venturi Judicis memores ubique esse.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Convertamus iterum oculos ad Christum, jam cælo receptum & ad Angelos.

INTEL. Christus dixerat: *vos autem baptizamini Spiritu Sancto, non post multos hos dies. Act. 1.* tamen ne paucos quidem dies expectare voluit, ad ostendendum amorem suum per Spiritum Sanctum; sed statim absens per Angelos suos, quasi per legatos voluit sperantibus in se adesse. **REFL.** usque adeò verum est: *Respicite filii nationes hominum, & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2.*

Vol. Magnam hic concipiamus fiduciam in sequendo Christum tam nostri amantem, tam de nobis sollicitum.

COLLOQ. Quibus petamus fiduciam illam, & reciprocum amorem erga Christum.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

SEQUUNTUR

MEDITATIONES

DE

Amore Spirituali.

MEDITATIO XXXV.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum.

Myft. punct. 1.

CONG. Desiderium Deo rependendi reciprocum amorem.

PRÆL. I. *Ut coram Domino, Angelis; Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.*

PRÆL. II. *Ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus, in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum, & servitium ipsius, totum me impendam.*

PUN.